



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

No. VII. Galeazius Marescottus Romanus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)

No. VII.

CARDINALES
PRESBYTERI.

GALEAZIUS MARE-
SCOTTUS ROMANUS.

GAleazius tit. S. Laurentii in Lucinâ, Prior Presbyterorum, Cardinalis Marefcottus Romanus natus est anno 1627. Primo Martii, eo equidem die in publicam lucem progenitus, quem olim anni primum Romani voverunt; Scilicet integri sæculi Phoenix futurus, jam ex tunc tempora seligere visus. Quis dubitare queat, quin principem hunc virum, omnibus naturæ dotibus abundè dotatum, integrum pene sæculum institutione summum postea efformarit? integri sæculi historiam quis solidius enarraret, quàm is, qui tanto illo, quo omnia hæc gerebantur tempore supervixit, & suis propemodum oculis cuncta sapientissimè intropexit? noverit ille probè enarrare, se magno Urbis & orbis Romani luctu elata vidisse octo Romanorum Pontificum funera, videlicet Alexandri VII. Chisii An. 1667. Clementis IX. Rospigliosi An. 1669. Clementis X. Altierii An. 1676. Innocentii XI. Odeschalci An. 1689. Alexandri VIII. Ottoboni An. 1691. Innocentii XII. Pignatelli An. 1700. Clementis XI. Albani Anno 1720. Innocentii XIII. de Comitibus An. 1724. Is ipse optimè meminert, se electionibus pro novis Pontificibus constituendis sexies interfuisse; & ita interfuisse, ut suo Pontifices suffragio non modò diceret, sed Pontifex ab aliis dici virtutum suffragio ipsèmet meruerit. Equidem Innocentium XI. Pontificem unà dixit An. 1676. Alexandrum VIII. An. 1689. Innocentium XII. Ao. 1691. Clementem XI. Ao. 1700. Innocentium XIII. Ao. 1721, & Benedictum idem XIII. nunc gloriosissimè in cathedrâ Petri Sedentem Ao. 1724. Quot Eminentissimorum Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium funeribus ipsèmet interfuit, & tumulatos indoluit, quorum meritis in Christianum Orbem vitæ perennitas debebatur? Quot ille bellorum tumultus attonitis oculis hausit? Quot Paces Monasteriensem, Olivensem, Aquisgranensem, Neomagiensem, Risvickiensem, Ultrajectinam & complures alias initas supervixit? quas æternitatem, si pactis fides stetisset, habituras, non nunquam una hora tumulavit. Planè optimè concludam, jubilarem hunc Principem, & integri sæculi Nestorem Sapientissimum plura suis ipsèmet oculis hausisse, quàm alii multi ex magnis licet voluminibus perceperint; quem etiam Saturnum dicerem, in suo Latio per longissimum ævum populis jura dictantem, nisi sæculum ipse penè ferreum vixisset, & perpetuis bellorum motibus concussus; immò aureum vixit, cum profusissima in egentes liberalitate, aureus omnibus esset, nemini ferreum aut inclementem se exhiberet, qui suas preces ad eum deferret. Jamdum sub Clemente X. Pontifice Maximo, qui devixit anno 1678. Apostolicum nuntium in Hispaniâ agebat, ubi in regis Catholici aulâ orthodoxæ fidei incrementa tam strenuè procuravit, ut ex prudentissimâ consiliorum ejus officinâ complura regia mandata in utrumque orbem expedirentur, quibus veræ Religioni (quæ quidem Hispaniæ singularis laus est) abundè prospiceretur; hinc Hispania pro purpurâ eidem impe-

tran-

tranda quæsitissima laudum ejus commemoratione Romanam aulam pulsabat, à quâ tamen regali dignitate hujus viri insignis modestia multum resilliebat; ejus tamen gloria honestamento eo dignior visus est, quò magis ab ambitu remotus videbatur. Et quidni decora purpura in sacros hujus principis humeros deflueret, quem post excessum Innocentii XII. Anno 1700. quinque abhinc Lustris pene pontificem orbis vidit. Ex Hispaniâ post sacram purpuram delatam redux factus, per omnes sacros magistratus & officia perpetuò exercitatus, se talem omnibus præbuit, ut neque Divorum templis integerrimus antistes, nec sacris curiis justus iudex, neque foro præstantissimus causidicus, neque reis gravis censor, aut supplicibus mitissimus patronus unquam defuerit. Roma semper hunc virum, ceu Sacrationis reipublicæ curis unice natum admirata est, & in amplissimo hoc orbis teatro exposita ejus Sapiencia, cultores ex omnibus nationibus nunquam non adinvenit, Summum juris peritum ita agebat, ut etiam legum apicibus iudex intemeratus adhæresceret; hinc multis gravissimus Cato videbatur, qui nullo personatum respectu jura magistratusque cunctis daret. Religionis studium tam tenaciter ejus animo inhærebat, ut toto commotum pectore omnes senserint, quotiescunque pro exornando ejus cultu maximo viro perorandum erat. Integri penè sæculi homo, sæculo tamen nunquam vixit, sed Deo; cum ita terris inambularet, ut solis astris affixus per totius vitæ decursum videretur; qui certè benefaciendo ita pertransiit, ut centenarius, Phoenix aliorum utilitati se penitus evisceraret; & suos thesauros in manus pauperum unice deportando, præterquam sibi soli, ab omni videlicet luxu quàm longissimè remotus, nemini unquam illiberalis existit. Satis constat, lectos, culcitas, lintea &c. ab eo in pauperum nosocomia, ut eorum necessitatibus subveniret, non semel misericordii dextra fuisse transmissa. Enimverò ob eximias has dotes Clemens X. cum ad purpuram vocaverat. Innocentius XI. sanctus sanctum amplectebatur. Innocentius XII. cum in gravissimis causis consiliarum adhibuit. Clemens XI. virum grandævum eximie coluit. Innocentius XIII. penè centenarium ita venerabatur, ut dubium reliquerit, an paternum magis affectum, an filialem eidem impenderit. Demum Benedictus XIII. eo in ipsum suavissimi amoris affectu fertur, quem coalita quàm longissimè ante inter utrumque summa familiaritas meretur; nam id etiam de Eminentissimo nostro purpurato singulare reperio, quod ceu suum Pollux Castorem, Vincentium Mariam Ursinum unice semper dilexerit, cum eo familiarissimè non nunquam cohabitavit, in arduis consilia cum eo communicavit; & gaudiorum veluti pelago innataverit, cum suum, quem nuncupavit, Ursinum in Cathedram Divi Petri evectum vidit. Idem etiam Eminentissimus Marefcottus, Vincentii Mariæ votis facturus satis Anno 1698. Sacri Ordinis Prædicantium protectoratam lubentissimè suscepit, quem ipse ordinem paterno semper affectu fovebat, non ingrata secum memoriâ reputans, quod orbis labefactus his Atlantibus succollatus aliquando steterit. Nec minus Protectorem Collegii Romani S. Apollinaris agit, unde in totam quaqua versus Germaniam delibatus flos selectissimorum ingeniorum magnopatriæ suæ emolumento plerumque mittitur. Hic verò talis tantisque vir, summis pro Christianâ republicâ exantlatis laboribus, & declivi senio fractus Ao. 1713. honorificentissimis quibusvis officiis suis receptum cecinit, cum Carolo V. Augustissimo illo Justiniani cœnobii incola sic secum concludendo: oportere inter vitæ negotia & mortis diem spatium aliquod intercedere; nec tamen virtutibus unquam ferias indixit, sed grandem in imbecillo corpore animam circumfert, atque suas, à terris veluti avocatus, cœlo cogitationes unice transmittit. Audivimus, quòd is Ao. 1716. non modicam pecuniæ summam in bellum turcicum impenderit, ut hoc belli nervo supeditato, non minùs quàm in statariâ miles pugna gloriosus infidelium profligator existeret. Denique ut Sanctam facile dignoscamus Marefcottorum familiam, ex ea prodiit Hyacintha Marefcotta, cujus beneficio factum videtur, ut tandiu Eminentissimus noster Purpuratus supervivat; cum enim Anno 1719. gravissimo morbo decumberet, & pene conclamatus haberetur, omnibus ad ultimam luctam sacris munitus, hujus imploratæ patrociniò, sacris etiam reliquiis adhibitis, plenæ Sanitati se restitutum credidit. Dignissimus planè, qui integro sæculo exacto, centenarius Phoenix inter virtutum suarum suaveolenta odoramenta in superas transferendus sedes exhalet.

